

De divinis officiis II 9

- Materia vel substantia sacrificii quod erat tunc et nunc est in manibus^a pontificis nostri non simpla est, sicut nec pontifex ipse solius divine vel solius humane substantie est. Est enim tam^b in pontifice quam in sacrificio divina substantia et terrena. Terrena in utroque est id quod corporaliter vel localiter
 5 videri potest; divina in utroque *Verbum* invisibile^c est, quod *in principio erat Deus apud Deum*¹⁾. Nam cum diceret idem magnus pontifex panem et vinum tenens *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*²⁾, vox erat^d Verbi incarnati, vox eterni principii, verbum antiqui consilii. Verbum quod humanam acceperat naturam, idem^e in carne manens panis et vini accipiebat substan-
 10 tiam; vita media panem cum sua carne, vinum cum suo iungebat^f sanguine. Quemadmodum in corporeis^g sensibus menti et corpulento aeri media lingua intervenit et utrumque coniungens unum sermonem efficit, quo in aures demisso id quod audibile est cito absumitur^h et transit, sensus autem sermonis et in dicente et in eo qui audit integer permanet et inconsumptus, sic Verbum
 15 Patris carni et sanguini quem de utero virginis assumpseratⁱ, et pani ac vino, quod de altari assumit^j, medium interveniens unum^k sacrificium efficit. Quod cum in ora fidelium sacerdos distribuit, panis et vini species^l absumitur et transit, partus autem virginis cum unito sibi Verbo Patris et in celo et in hominibus integer permanet et inconsumptus.

R M O K

G

- 20 Sed in illum in quo fides non est preter visibiles species panis et vini nihil de sacrificio pervenit, Sed^m ille in quo fides non est, licet visibili sacramento communicet, eucharistiam tamen idest bonam gratiam non accipit^m,

- quemadmodum asinus ad lyram cum irrationales aures arrigit, sonum quidem
 25 audit, sed sensumⁿ cantilene non percipit. Tales comparantur Iudeis vel patribus eorum, de quibus Dominus *Patres*, inquit, *vestri manducaverunt manna et mortui sunt*³⁾. Qui autem cum fide accipiunt illis comparantur, de quibus

a) manu G

b) enim tam *nachgetragen* M

c) *korrigiert aus* visibile K

d) est K

e) idem] idest $R_a \cdot C_{14}$

f) *korrr. aus* unguebat G

g) corporeis M O K G R_c , R bei Migne, corporis R bei Haacke

h) assumitur M

i) *so auch* G, absumpserat Van den Eynde

j) sumpsit G

k) *korrr. aus* vinum O

l) vini species] vinum R_a

m-m) Die veränderte Fassung in G ist durch Rasur und Randnachtrag aus dem ursprünglich ebenso wie in R M O K lautenden Text hergestellt.

n) modum $R_a R_b$

1) Vgl. Ioh. 1, 1-2.

2) Mc. 14, 22 u. 24.

3) Ioh. 6, 49.